

CLII.

U. 75 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 360. 4. currente calamo perscriptus, et rubricis enotatus Commentarius est in *Ecclesiasticum* hujus initii: *Summi regis palatium in quatuor consummatur, hoc est, in fundamento et parietibus, tecto et ornato interiori &c. Rabano*, quo plurimum utitur, etiam *Prologum* sublegit, et tertio loco posuit Autor, denique ita concludit: *Vna autem alarum istarum fuit iste ihesus filius syrach — alia autem ala est ysaias, quem post illum librum iuuante domino proponimus nos lecturos. Deo gratias.* Accedit Index rerum alphabeticus. Thecae anteriori inscriptum: *Egregius pater sacre theologie ac arcium liberalium doctor preclarus ecclesie Wienn. Decanus atque canonicus predignus Magister Paulus de Mellico ad Collegium Ducale Wien. hunc librum testatus est. Et supra: Anno domini &c. 48. propter deum ad consilium Magistri Vrbanus plebani in Stain. An is Urbanus de Mellico Nostri Pauli conterraneus, qui positus a. 1435. Academiae fascibus fortasse facer illius Urbeculae non procul a communi patria, sed ultra Danubium sitae Curio effectus sit, ejusque suasu Paulus Ecclesiasticum exponendum sumserit? Locheri Speculum Acad. illi annum 1442. huic vero 1479. e-mortualem adsignat. Dorsum Codicis quidem Paulum Expositionis autorem facit; verum quomodo eam a. 1448. aut orsus est, aut*

perfecit ad consilium hominis a. 1442. demortui? Itaque vel annus *Locheri* in mendo cubat, vel Codicis dorsum fallit. Conspicuum ceterum inter Patres Academicos vir erat *Paulus*, ut ejus ad Synodum *Passaviensem* a. 1470. missio, et quater gestus ab a. 1451. ad a. 1471. summus Magistratus testatum facit.

CLIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 135 Folior. nunc 276. f. per duas columnas exaratus, rubro distinctus, et, ut praefert, *deputatus Thoma de baslpach operante pro libraria ducalis Collegij in wyenna ab honorabili viro Vrlico presbitero Prebendario in Kotwico, dum adhuc viueret, sed qui 1440. de mense Aprilis obiit, vastum, et VIII. Libris constantem Commentarium in Isaiam exhibet, inscriptum: Incipit Prologus Eruegij super ysaiam. Eruegium hunc Herveum intellige O. S. B. Monachum Dolensem in Dioec. Bituric. Sec. XII. Scriptorem, quem Codex Campilil. pejus in Curveijum corruptit teste Bern. Pezio in Dissert. Isag. T. III. Tbes. Anecd. qui dicto T. Opus nostrum typis repraesentavit, prae-ue res et scripta Hervei solerter, ut solet, executus, unde manum abstineo, id notare contentus: defuisse in Viri Codicibus Prologum, qui nobis ita inchoat: *Ysaias filius amos non illius prophete sed alterius, qui simili nuncupatur nomine, ille enim ex ministerio pastorum fuit de opido thecue, Hic autem genere nobili**

nobili ortus in hierusalem &c. Sed nemini imponat; non enim *Hervei* est, ut praefertur, verum *Isidori Hispal.* excerptus e Libello *de ortu et obitu Patrum*, edit. *Parif.* 1601. p. 531. f. Commentarii

porro ipsius initium est: *Visio ysaie* — *Subintelligitur in primis hec est. ut ita sit integer sensus &c.* Et finis: *ut tanti laboris mercedem in futuro seculo mihi restituat, qui uiuit &c.* Addidit Librarius:

*Per calami florem lector perpende laborem
Obsecro scribentis, seriemque futura canentis.*

H. fol. 270. p. 2. ἀνεργαφως *Petri Blesensis Archidiac. Bathoniens.* Scriptoris Sec. XII. *Compendium in Job* cum Prologo, qui infit: *Heinrico Dei gratia illustrissimo anglorum regi (II.) Duci normanie et aquitanie et comiti andegauie Suus Petrus* — *Gratias ago gratie largitori &c.* Nihil perfectius edito inter *Opera omn. Parif.* 1667. p. 407. f. situ passum et abruptum in verbis: *sub verborum paucitate declarat.* Itaque, quae sunt *Cap. XLII. Job*, deperiere. In Theca postica Codicis legas: *Anno domini M^o quadringentesimo quinto fuit tanta karistia tritici quod metreta dabatur pro I. libra denarior.* Aequiparari potest haec Rhenensi nostro, quorum quinos jam aevo nostro *Metretae*, feu *Modii* pretium superavit.

CLIV.

U. 32 Codex membraneus sub finem charta subpletus lat. Sec. XIV. Folior. 185. f. per duas columnas manu fat difficili exaratus, rubricis distinctus, et, ut praeue notatur, Ducali Collegio Vien. testamento legatus a saepe memorato *M. Thoma Ebendorfer de Ha-*

selbach continet *Hugonis a S. Carlo* ex Ord. Praed. ad Romanam purpuram adsumti, Sec. XIII. Scriptoris *Postillas in Isaiam*, unde Titulum praefert: *Dominus Hugo postillator super Ysaia.* Initium est: *Habemus firmiorem Sermonem propheticum &c.* Extant in Edit. totius Corporis *Postillarum Nostri Lugd.* 1645. f. T. IV. *Fol.* 18. ad marginem interiorem legitur: *Iste liber est beate Virginis marie in valis dei;* quo loco designari putem Coenobium Ord. Cist. in *Austria* infer. ad *Istri* et *Isidis* confluentes dictum in *Valle Dei* vulgo *Seissenstein*, nunc extinctum. Unde porro illum habuerit *Hafelbachius*, ad calcem manu sua testatus est: *Hunc librum donauit michi Thome de haspach Bertholdus mutarius in lyncz quem fecit ligari et ut cernitur finiri expensis proprijs.* Quo anno id factum, docet Theca postica interior: *Hij XII. sexterni in pergamento dati sunt M. Thome de Haselpach a Bertholdo mutario in lyncz quos fecit prius compleri et ligari 1432.* *Mutarius* (germ. *Mautner*) *Vestigalium* perceptor est a *Muta* (*Maut*) *Vestigali* ipso, feu etiam loco, ubi id penditur, jam *Ulpiblae*